DE CONTRACTIBUS IN GENERE ASSERTIONES EX MORALI THEOLOGIA DEPROMPTAE...

Vincenzo Ballico, Giovanni Prosdocimo Zabeo

Digitized by Google

DE CONTRACTIBUS IN GENERE

ASSERTIONES EX MORALI THEOLOGIA DEPROMPTÆ

QUAS

Coram Illuſtriſſimo ac Reverendiſſimo D. D.

FRIDERICO MARIA GIOVANELLI

VENETIARUM PATRIARCHA DALMATIÆQUE PRIMATE

NEC NON

Coram Illuſtriſſimis atque Excellentiſſimis Studiorum

IIIVIRIS MODERATORIBUS

PUBLICO CERTAMINI EXPONIT

VINCENTIUS BALLICO

ADSISTENTE

JO: PROSDOCIMO ZABEO S. TH. D.

ET EJUSDEM TUM DOGM. TUM MORAL. IN PUBL. VEN. GYMN. LECTORE.

Digitized by Google

Non afferamuſ Staterаſ doloſaſ, ubi appendamuſ quod volumuſ pro arbitrio noſtro dicenteſ: Hoc grave, hoc leve eſt: ſed afferamuſ divinam Stateram de Scripturiſ Sanctiſ tanquam de Theſauriſ Dominiciſ, & in illa quid ſit graviuſ appendamuſ: immo non appendamuſ, ſed a Domino appenſa recognoſcamuſ.

D. August. lib. 2 de Bapt. Contr. Donatist. c. 6.

Digitized by Google

DE CONTRACTIBUS IN GENERE

ASSERTIONES.

I.

CUM Evangelicæ Leges, quarum definitæ & extra controversiam positæ cognitioni studet Moralis Theologia, naturam non destruant, sed perficiant: cum insuper jubeant Christianos etiam propter conscientiam subditos esse legitimis Potestatibus; in omni de moribus Christianorum disputatione non solum indicandum est per ea media, quæ Theologia præscribit, quid Verbo suo præceperit Deus; sed & quid naturale jus, quid humanarum legum positivæ sanctiones decernant: ne qua res, unde æqui bonique surgit regula, omittatur.

II.

Hoc autem si quando alias, in eo certe Tractatu fieri debet, qui de Contractibus est. Nam cum in contrahendo non unum requiratur ad habendam contractus existentiam, & multa ita sint vitanda, ut iis positis contractus quilibet infirmetur, & pereat necesse sit: cum item multa Canones Ecclesiæ, & Summorum Imperantium scita præscripserint; evidens est, Eum præcipue, qui in hoc loco versatur, naturale jus, & humanas leges ignorare non posse.

Digitized by Google

III.

Ut vero nitide hæc omnia cognoscantur, non ineptus ille totius disputationis ordo est, qui universam de Contractibus in genere materiam ita partitur, ut primum de Personis, quæ contrahere valent, deinde de rebus, quæ venire in contractus possunt, tandem disserat de modis, qui sunt in contrahendo servandi.

IV.

Et ad Personas quod attinet: quoniam definiri contractus solet *Duorum vel plurium in idem conſenſus, & conventio obligationem mutuam pariens*; illud primum occurrit, esse naturæ placitum, de nulla re posse aliquem nomine suo per contractum libere disponere, nisi rei illius sit dominus. Cum enim libera dispositio hoc importet, ut possit etiam rem in alterius dominium traducere; profecto in disponente dominium idem eo tempore, quo disponit, sit oportet: nemo enim fingi potest alteri dare quod ipse non habet.

V.

Et ne incerta nominum, quæ adhibemus feratur notio; obligationem quam contractus inducunt, definimus: *Morale vinculum ab hominum, vel rerum, vel actionum neceſſaria conditione & natura, aut poſitiva lege inductum, quo homo in eam neceſſitatem deducitur, ut hoc vel illud faciat, aut omittat, ne erga alios homines injuſtus ſit.*

Digitized by Google

VI.

Ex hac etiam obligationis notione illud, quod superius ponebamus (nimirum actuale dominium rei, de qua contrahitur, esse in eo oportere, qui nomine suo disponit quando contractum instituit) ulterius confirmatur. Etenim natura vetat, ullum obligari ad disponendum de ea re cujus non est dominus: & contractus esse sine obligatione contrahentium nullus potest.

VII.

Quapropter cum ii, qui testamenta condunt, nolint eo tempore, quo rerum suarum arbitrium habent, rerum earundem dominium in alios venire; & eo tempore, quo transferri volunt, tradere non possint, neque obligationis capaces amplius sint, quia excesserunt e vivis; adversus Buddæum in suis *Exerc. jur. nat. de test. Sum. Imper.* & Barbeyraccium in *Notis ad cap.* 10, *lib.* 4, Samuelis Pufendorfii, asserendum est, inter testatorem & hæredes, si ad solius naturæ jus attendatur, contractum non intercedere: ac propterea testamenta immediate a natura nullam firmitatem habere.

VIII.

Cum tamen testamenta, ubi fieri permittuntur, etiam valere jubeantur, eorum vim omnem a positiva lege derivandam esse judicamus. Etsi enim humana lex non possit quidpiam statuere quod sit contra naturam, potest tamen efficere, ut quod natura non præscribit, servetur.

Digitized by Google

IX.

Vis autem hæc positivæ legis cognoscenda maxime ubi de contractibus est sermo. Utque cognoscatur utiliter, distinguendi inter se sunt ii contractus, qui naturà sunt iniqui, ab iis qui solummodo invalidi naturà sunt. Non illos, sed hos unice erigere & firmare lex positiva potest. In illis enim, qui naturà sunt iniqui, aliquid inest, quod intrinsece malum est: isti autem, quos natura non roborat, invalidi sunt ea tantum de causa, quia carent aliqua conditione, quæ requiritur, ut homines etiam ad id, quod æquum est & honestum, jure naturæ obligentur. Illi ergo nulla sanctione fulciri possunt, quia nemo potest ad id, quod necessario est injustum, compelli: hi autem aliquando positivis legibus robur, & firmitatem accipiunt, quia leges possunt eo jure donare homines, quo eorum etiam, quæ invalide acceperant, dominium acquirant.

X.

Ut hujus veritatis aliquod afferamus exemplum, quod traditam modo doctrinam illustret, Præscriptionis effectum proponimus. Per Præscriptionem enim, sive Usucapionem, voluerunt leges, ut rei dominium ei accedat, qui a domino rei ejusdem dominium non acceperat. Hæc autem ut communi bono consuleretur introducta acquirendi dominii ratio adeo valida & præsens est, ut iis in locis, ubi præscriptio esse jubetur, dummodo eas servet conditiones, quæ sunt servandæ,

Digitized by Google

vere efficiat, eum, qui rem vel jus aliquod usucepit, juste omnino rem vel jus præscriptum retinere ut suum; etsi domino non solum non valide dante, sed etiam ignorante retineat.

XI.

Sed ut quid naturæ jus in contractibus instituendis jubeat, enucleatius dicamus; affirmamus, eos omnes jure naturæ a contractibus prohiberi, qui rationis usu carent, sive infantes ii sint, sive ætatis cujuscunque provectioris.

XII.

Item jus idem vetat, eos etiam, qui hoc usu cæterum gaudent, eo tempore contrahere quando vel morbi, vel intemperantiæ causa ratione minime uti possunt. Contractus enim est voluntaria & libera conventio: at neque liberum, neque veri nominis voluntarium in eo, qui rationis usu destituitur, esse potest.

XIII.

Jus autem positivum humanum, quod præceptionibus opportunis jubet ea fieri, quæ manu ducunt ad illud faciendum, vel omittendum, quod natura præscribit aut prohibet; statuit, neminem qui ætatis puellaris annos non evaserit, contractum posse conficere. Cum enim Pueri, etsi non omnes usu rationis destituantur, inepta soleant amare, vere utilia negligere, rerum valorem, & vafrorum hominum artes ignorare; quoad civiles contractus ratione minime utentibus æquiparantur, atque civili le-

Digitized by Google

ge, si sunt infantiæ proximi, ab obligatione omni cujuscunque pactionis eximuntur.

XIV.

Impuberes vero proximi pubertati vel sunt Filiifamilias, vel Pupilli. Si primum est, nulli & ipsi contractui faciendo, lege prohibente, apti sunt: si vero sint pupilli, accedente Tutoris consensu valide contrahunt. Rationem discriminis non inepte dici potest in eo esse ponendam, quia Filiifamilias nullius rei dominium habere censentur: Pupilli autem rerum, quibus ditantur, vere sunt domini.

XV.

Quod si aliquando contingat hujusmodi filiosfamilias castrensibus, vel quasi castrensibus bonis gaudere, quorum plenum dominum ita habent, ut plenius rerum suarum pupilli non habeant; ea tamen in ætate constituti & horum bonorum administratione privantur. Voluit enim lex hunc honorem patriæ potestati deferre, ut qui sub ea esset, minus posset quam qui Tutoris custodiæ subjicitur.

XVI.

Hæc tamen impubertatis tempore: nam cum ad pubertatem venerint filiifamilias, quoad bona castrensia & quasi castrensia plus possunt, quam vel Pupilli sub Tutore, vel Minores sub Curatore possint. Illi enim de bonis quæ modo nominavimus, libere disponunt: hi autem, si contractus in suum commodum institutos excipias, nisi de Tutoris vel Curatoris consensu obligantur.

Digitized by Google

XVII.

Immo vero quidam sunt contractus, quos frustra & invalide instituerent Pupilli nisi & judicis auctoritas accederet. Contractus autem hujusmodi illi sunt, in quibus essent alienanda bona pretiosa vel immobilia. Hæc omnia præscripsit lex, ut nondum matura ætas haberet contra damna præsidium, & in prospere gerendis careret impedimento.

XVIII.

Mulieres item non eadem libertate ex lege positiva in contractibus conficiendis gaudent ac viri, etsi forte etiam Matresfamilias essent. Marito nempe præsente & invito non solum de familiæ bonis disponere per contractus non possunt, sed ne de sua dote quidem. Hoc autem ideo sancitum est, ut ne plura in eadem domo essent Capita, neve jus administrationis viris minueretur.

XIX.

Dotis insuper restituendæ debitum Marito, vel Mariti hæredibus incumbit, ubi dos est restituenda. Congruebat ergo, ut ille apud se id haberet, curaretque, qui ad illud idem alteri dandum aliquando poterat cogi. Alioquin non raro fieret, ut id vir uxori deberet, quod uxor ipsa inutiles in usus dispersisset, vel maturi consilii experti administratione amisisset.

XX.

Singuli etiam Ordinum Regularium professi Religiosi carent potestate instituendi ad arbitrium quoslibet contractus. Cum enim ipsi per religiosam Professionem re-

Digitized by Google

nunciaverint bonis omnibus, quæ habebant priusquam pia Claustra ingrederentur, quæque possent imposterum habere; atque eorum, quæ sunt Monasterii vel Cœnobii non sint facti domini; necesse est, eos singulos rerum temporalium quarumcunque dominio carere.

XXI.

Quæcunque de Personis statuère leges non æque omnia Personas afficiunt. Aliquando enim Personæ a contractibus ineundis tantum abstinere jubentur: aliquando inhabiles ad contrahendum decernuntur. Ex quo fit, ut non omnes contractus, qui lege prohibente fiunt, nulli sint. Eorum aliqui illicite concluduntur, sed obligationem justitiæ gignunt, & verissimum est illud: *Multa fieri probibentur, quæ facta tenent.*

XXII.

Hoc autem effectùs legis discrimen deprehenditur vel ex verbis legis ipsius, vel ex authentica, uti dicunt, interpretatione, vel ex authenticis in re æquali exemplis, vel ex consuetudine legitima.

XXIII.

Consuetudo enim legitima, hoc est ea consuetudo, quam mores totius Societatis longo temporis decursu adprobaverunt sciente, & non contradicente Legislatore, ubi de re bona, vel saltem non mala sit, vim legis habet.

XXIV.

Doctrinalis interpretationis non meminimus: illam enim, quando de contractuum firmitate, hoc est de rerum

Digitized by Google

dominio quæritur, tantum valere statuimus, quantum valent rationes, quibus innititur: ita ut concludi oporteat, nullius privati hominis auctoritatem esse in causa posse, cur tuta conscientia illud retineamus, quod num recte retineatur dubium est.

XXV.

Neque in legibus illud tantum est quod Personis prospicit; sed & de ipsa contractuum materia plura decreta sunt. Quorum, ut aliquod specimen exhibeamus, materiam ipsam contractuum dividimus in jura, operas, & res.

XXVI.

Juris nomine eam potestatem intelligimus, quam ad aliquid faciendum, omittendum, obtinendum, impediendum, retinendum, vel in alios traducendum possunt homines habere. Operarum vocabulo veniunt illæ actiones, quibus homines iidem aliquid præstant vel faciunt, sive in artibus id sit, sive in officio quocunque. Rem autem dicimus quidquid physicum in natura est, de quo possunt contractus institui.

XXVII.

Jurium duo sunt genera: alia vendere, donare, mutare, cum aliis dividere fas est: alia autem ita personæ habenti adhærent, ut nullo modo alienari possint. Ut vero cum de juribus est sermo sciamus de quibusnam loquamur, illa dicimus abdicabilia; hæc inabdicabilia appellamus.

XXVIII.

Jus naturæ de iis juribus pacisci vetat, quæ alicui necessario competunt ratione muneris, vel officii. Cum enim muneri, vel officio exercendo necessaria sint; esset contra rerum earundem essentiam, officium quidem retinere; jus autem, sine quo officium exerceri non potest, in alios transferre.

XXIX.

Jura propterea hujusmodi illa sunt, quæ sunt muneri necessaria colligatione conjuncta: non autem si qua accidentalia, & accessoria forte cum officio aut munere copulantur. Hæc enim, nisi positiva lex prohibeat, distrahi, immo & amitti etiam a nolentibus, si male iis utantur, possunt.

XXX.

Neque ea tantum, quæ ex indole & ingenio rerum proficiscuntur Natura firmat, sed illa etiam quandoque roborat, quæ hominum voluntate decernuntur. Quapropter illa jura etiam alienare est contra naturam, quæ homines habent ex concessione superioris Potestatis alicujus, & intuitu personæ sunt data. Si enim dantis voluntas noluit, ea jura esse nisi in favorem personæ cui dedit; profecto cum persona, quæ accepit, illis eisdem juribus renunciat; jura ipsa dilabuntur & pereunt; cessat enim causa cur unice stabant.

XXXI.

Quapropter delegati Judices jus, quod habent, ferendi sententias in alium transferre propria voluntate non

Digitized by Google

possunt: & quilibet contractus, quo hæc translatio tentaretur, esset nullus. Hinc illud: *Delegatus non potest delegare* non solum est juris positivi vox, sed etiam naturæ ipsius.

XXXII.

Quædam etiam jura, quæ aliis concedi possunt, & sæpe debent, eam habent naturam, ut gratis concedantur oporteat; ita ut si in illis concedendis contractus venditionis instituatur, nullius momenti futura collatio sit. Jura hæc ea sunt, quibus animas regendi, & pascendi religionis & æternæ vitæ intuitu potestas acquiritur.

XXXIII.

Quapropter *Simonia*, hoc est contractus, quo pro temporali bono spiritualia jura venduntur, etiam naturali lege proscribitur. Nam cum spiritualia temporalium valore compensari non possint, & Deus præceperit, eum qui præficiendus est in spiritualibus, gratis esse instituendum; profecto ut hæc jura valide acquirantur, gratis acquiri necesse est.

XXXIV.

Quare si causa temporalis pretii ex his juribus aliquod alicui conlatum sit, jure naturæ restitutio in integrum fiat oportet. Ille enim qui jus hoc modo occupavit, invito Domino jus idem abripuit, ac propterea non fecit suum. Is autem qui temporale pretium accepit, accepit causa contractus natura sua iniqui & nullius valoris: vendidit enim quod suum non erat, quod

Digitized by Google

esse venditionis subjectum non poterat, & quod vendere non permittebatur. Hanc restitutionem jus positivum ita moderatur, ut vetet & conferentem pro ea vice facultatem conferendi, & dantem unquam datum pretium recuperare.

XXXV.

Immo hujus restitutionis faciendæ debitum urget & solvendum est etiam ante quamcunque Judicis sententiam. Illa enim tunc est expectanda quando vel incertum *proprietatis* jus est, vel ea bona in pœnam alicujus patrati sceleris dimittenda sunt, quæ juste possidebantur. Simoniaci autem alienum esse illud quod per simoniam habuerunt, seque illud idem injuste retinere, ignorare non possunt.

XXXVI.

Lex etiam positiva non unum circa jura statuit. Ut aliquod sit exemplum: jus percipiendi fructus ex fundis fideicommissis in perpetuum vendi non potest. Cum enim permiserit lex, eos qui moriuntur ita posse de liberis fundis disponere, ut fundos eosdem relinquant Hæredum successivæ seriei in solidum, fructus autem inde percipiendos singulis hæredum ipsorum personis, prout in diversa temporis differentia sibi quisque succedet; vetuit eodem tempore, eum qui actu percipit fructus, de fructuum percipiendorum jure disponere in damnum hæredis, qui post mortem suam vocatus est.

Digitized by Google

XXXVII.

An vendere jus in personas, ita ut emptor pro pretio soluto acquirat actionem repetendi in perpetuum annua & certa emolumenta ex industria & labore venditoris & hæredum, qui debent, si cupiant jus venditum iterum vindicare sibi, tantum emptori eidem dare, quantum erat acceptum: An, inquam, vendere hoc jus, & instituere illum contractum, qui census personalis dicitur, sit contra naturæ placitum, disputatum aliquando est inter Doctores. Nobis considerantibus, humanam industriam talem esse, quæ aliquando etiam vivo homine perit, aut morbo impeditur, & non raro inutiliter conatur; hominumque singulorum labores incertæ omnino esse spei quoad lucrum percipiendum: & perpendentibus Canonicarum atque Civilium etiam nostrarum Legum dictamina visum est, esse affirmandum, contractum eundem esse non solum illicitum, sed & natura sua iniquum.

XXXVIII.

Operarum nomine cum, ut diximus, veniant actiones illæ, quæ ex condicto ob pactum lucrum, vel utilitatem quamcunque fieri possunt, illud primum occurrit, naturalis legis placitum esse, neminem obligari posse ad id quod malum, aut lege aliqua prohibitum est. Atque propterea concludimus, eos omnes contractus, quibus promittitur malum vel prohibitum opus sive gratis, sive pro pretio, esse nullos. Hoc autem lex ipsa declarat: *Pacta quæ contra leges, constitutionesque,*

Digitized by Google

vel contra bonos mores fiunt, nullam vim habere indubitati juris est.

XXXIX.

Quod si quæratur, num post peractum opus malum, is qui fecit, possit pactum præmium percipere; respondemus, eum qui percepit lege irritante perceptionem, ad præmii restitutionem teneri, quia nullum jus in re percepta acquisivit: eum vero, qui præmium accepit pro malo opere, lege non impediente præmii acquisitionem, posse quod accepit retinere sibi.

XL.

Immo in aliquibus statutum est a lege, illum, qui doni alicujus promissione alterum ad malum patrandum illexit, etiam teneri, postquam malum factum est, ad id quod promiserat, si malum fieret. Qui præmium fornicationis ex. gr. matrimonium puellæ promisit, post fornicationem eam ducat oportet.

XLI.

Non solum autem operæ, quæ in contractum deduci possunt, debent esse non malæ vel non prohibitæ; sed insuper tales, quæ ab arbitrio operantis pendeant, neque aliunde sint debitæ. Quapropter qui ex officio, aut ex contractu aliquid agere debet, illud idem vendere, aut in pactum quodcunque deducere non potest.

XLII.

Hinc non solum turpe, sed & injustum esset si Sacerdotes, qui curam animarum exercent, pro Sacramen-

Digitized by Google

torum administratione, & verbi Dei prædicatione, quibus sanctificare, & docere sibi commissas oves debent ex officio, vellent quocunque modo pacisci. Vellent enim a Fidelibus emi, quod Fidelibus eisdem ipsi alio titulo debent.

XLIII.

Ipsi etiam Sacerdotes, quibus cura animarum non est commissa, de sua opera, sine qua Sacramenta administrari, & Verbum Dei promulgari non possunt, pacisci per emptionis & venditionis contractus prohibentur. Etsi enim actiones, quibus hæc fiunt, humanæ sint; tamen conjunguntur adeo cum supernaturalibus, ut ab iis distingui non nisi inepte, & sophistice possint: Iis enim sublatis & supernaturalia tolluntur. Supernaturalia autem cum temporali pretio conferri non possunt; & quemadmodum gratis accepta sunt, ita etiam jubentur in Evangelio gratis dari.

XLIV.

Qui tamen Sacerdos hæc ministrare aut ex justitia aut ex charitate non tenetur, potest obligationem horum eorundem præstandorum, ubi erit opus, suscipere, & inde emolumentum percipere, immo & jus ad illud, si nimirum ii, in quorum gratiam suam operam præstitit, emolumentum promiserint. Hoc autem non pretii & mercedis, sed victus & eleemosynæ causa: necesse enim est, eum qui, ut aliis prosit, cætera ex quibus utilitatem posset percipere, negligit; ab eo saltem, cui prodest, accipere quo vivat. Hinc D.

Digitized by Google

August. *lib. de Paſt. c. 2*: *Accipiant*, inquit, *ſuſtentationem neceſſitatis a populo, & mercedem diſpenſationis a Deo*.

XLV.

De licitis autem & non sacris, aut aliunde debitis actionibus sic est instituendus contractus, ut pretium æquet operæ valorem. Cum enim qui agit ex contractu, gratis non agat; censetur velle illud omne quod suæ operæ ad amussim respondet. Is autem erit operarum æquus valor, quem vel lex præfiniit, vel silente lege mos universalis induxit.

XLVI.

Neque pauperies, qua forte operarius laborat, esse in causa potest, cur minoris illius opera æstimetur, & compensetur. Hoc enim est contractui extrinsecum, neque operæ ejusdem minuit utilitatem.

XLVII.

Quandoque evenit etiam, ut qui operam suam conferre statuta mercede jubetur, mercedem etiamsi opera non ponatur debeat accipere. Hoc autem fit quando conductor ipse fuit in causa, cur locator ad agendum paratus non ageret. *Cum* enim *quidam* (L. sed addes §. cum quidam ff locati) *operas ſuas locaſſet, deinde is, qui eas conduxerat deceſſiſſet, Imperator reſcripſit: Cum per te non ſtetiſſe proponas, quominus locatas operas ſolveres, ſi eodem anno mercedes ab alio non accepiſti, fidem contractus impleri æquum eſt*.

XLVIII.

Hujusmodi namque contractus, quibus conducuntur operæ, cæteris contractibus pares omnino sunt, eosque gignunt effectus, qui aliorum contractuum sunt proprii. *Locatio & conductio*, inquit lex 3, instit. tit. 25, *proxima est emptioni & venditioni, iisdemque juris regulis consistit.*

XLIX.

Quapropter si operarum conductor antequam completa opera sit, moriatur, recedere ab instituto contractu non possunt hæredes, sed omnino stare promissis præcipiuntur. Hinc legimus in L. Veteris juris C. de contrah. & comitt. Stip. *Generaliter sancimus, omnem stipulationem sive in dando, sive in faciendo, sive mixta ex dando & faciendo inveniatur, & ad hæredes & contra hæredes transmitti, sive specialis hæredum fiat mentio, sive non.*

L.

De rebus ut, quod nunc faciendum est, nonnulla dicamus; illud primum statuimus, ea omnia esse posse materiam contractus, quæ humanis usibus inserviunt, & sub hominum dominium venire possunt.

LI.

Res autem hujusmodi in duas velut generales species dividuntur: aliæ immobiles sunt, aliæ mobiles. Priores sunt illæ, quæ loco dimoveri physice non possunt: ut agri, domus. Ad speciem secundam illæ pertinent, quæ de loco in locum traduci possunt, ut domûs ornamenta,

Digitized by Google

fruges, & quidquid ad vitæ necessitatem aut commodum adhibemus.

LII.

Ea item in hoc Tractatu divisio rerum instituenda est, ut aliæ dicantur pretiosæ, aliæ non pretiosæ. Aliquando enim factum est, ut peculiari sanctione illud de pretiosis leges jusserint, quod ad cætera extendere neque leges ipsæ, neque utentium mores voluerunt. (Vide prop. 17)

LIII.

Pretiosæ autem sunt gemmæ, factum infectumque aurum vel argentum, illustrissimorum Artificum tabulæ & signa, & quidquid adeo est mirifice elaboratum, ut & rarissimum sit, & insuetum valorem exæquet, etsi materies operis digna forte non sit, cui tale nomen conveniat. Non pretiosæ autem cæteræ omnes appellantur: ut cibi, vestes, animalia.

LIV.

Hanc etiam aliam rerum necessariam distinctionem notemus oportet: res alias esse vel sacras aut sacris adnexas, vel sanctas, vel religiosas: alias autem communes. Sacræ illæ dicuntur, quæ vel divinæ sunt, ut Dei dona supernaturalia, Sacramenta; vel Religionis causa habentur in honore, ut Sanctorum Reliquiæ. Sacris adnexa sunt ea, quæ externo cultui divino exercendo proxime inserviunt, ut vasa, sacerdotalia indumenta, quibus benedictio conjuncta est. Sancta autem appellamus ea, de quibus lege sancitum est, ut ne sub privatorum

Digitized by Google

hominum dominium veniant, velut urbium mœnia: his etiam accenseri possunt loca publica, ut forum, viæ. Religiosæ res sunt ea loca, quæ mortuorum sepulturæ deputantur, non autem quæ tantum pompæ causa, ut Mausolæa, memoriæ alicujus illustris viri ponuntur. Communes cæteræ aliæ omnes.

LV.

Res mobiles non iisdem semper legibus obnoxiæ sunt, ac immobiles. Quandoque enim fit ut nullum immobilium arbitrium apud possessorem sit, qui tamen de mobilibus, quæ ex illis gignuntur, libere disponit. Id in Fideicommissis usuvenire videmus.

LVI.

De bonis autem, quæ possidentur titulo beneficii Ecclesiastici se aliter habet res. Nam non solum fundi, sed ne fructuum quidem, qui honestæ eorum sustentationi supersunt, domini sunt Clerici beneficiati. Fundos enim ita habent, ut eos incolumes & inviolatos servent oporteat; de fructibus autem ad arbitrium disponere non possunt, sed eos debent impendere juxta præceptum a canonibus modum. Hoc autem ideo fit, quia cum res illæ sint res Ecclesiæ, non possunt singulis Ministris nisi jure administrationis subjici.

LVII.

Quoad Præscriptionem etiam diversa est Mobilium, & Immobilium bonorum conditio. Res mobiles enim

Digitized by Google

breviore temporis curriculo præscribuntur, quam immobiles usucapiantur.

LVIII.

Sacra autem, sancta, & Religiosa cum vel ex natura sua, vel positiva lege ab hominum privatorum dominio eximantur, venire in contractus non possunt. Nemo enim potest disponere de re ea, quæ aut non est sua, aut cujus dominium acquirere prohibetur.

LIX.

De iis vero, quæ sacris adnectuntur, non unum potest affirmari. Quædam enim in contractus venire sinuntur, quædam positiva sanctione vetantur. Hæc in Tractatu de Simonia videnda sunt.

LX.

De rebus item communibus dum hoc in Tractatu habetur sermo, cognoscenda & illa divisio est, quæ notet earum plurimas usu non consumi, alias autem usu naturali statim destrui, vel prorsus alienari. Postemæ res *fungibiles* dicuntur.

LXI.

Non raro evenit, ut in prioribus dominium rei a dominio usùs sejungatur, quia ad hoc habendum illo non egemus. Hinc fieri etiam potest, ut alius sit dominus rei, alius autem sit dominus usùs tantum. Hæc enucleatius ubi de Locatione & Conductione.

Digitized by Google

LXII.

At in rebus fungibilibus, quoniam liber usus a re ipsa, quæ usu vel consumitur, vel distrahitur, separari non potest, esset contradictorium posse rebus hujusmodi uti, & de rebus ipsis non posse disponere: nihil enim aliud est harum rerum usus, quam actus disponendi de rebus iisdem. Hoc ex Metaphysicorum Principe illustrius cognoscere est. Ille 2, 2, q. 78, a. 1: *Sciendum eſt*, inquit, *quod quædam reſ ſunt*, *quarum uſuſ eſt ipſarum rerum conſumptio*, *ſicut vinum conſumimuſ eo utendo ad potum*, *& triticum conſumimuſ eo utendo ad cibum. Unde in talibuſ non debet ſeorſum computari uſuſ rei a re ipſa.*

LXIII.

Hinc illis, quorum arbitrio talium rerum usus conceditur, res etiam concedatur oportet. Ex quo fit ut qui usùs talium rerum est dominus, idem & rei ipsius dominus sit. *Cuicunque*, pergit eod. loc. S. Doctor, *conceditur uſuſ*, *ex hoc ipſo conceditur reſ.*

LXIV.

Quapropter si usus rei ab ipsa re non distinguitur, non est multiplicandum pretium talium rerum ita, ut aliud exigatur pro usu rei, aliud pro re. *Si quiſ* (id. ib.) *ſeorſum vellet vendere vinum*, *& vellet ſeorſum vendere uſum vini*, *venderet eandem rem biſ*, *vel venderet id quod non eſt.*

Digitized by Google

LXV.

Ex his etiam consequitur, rei periculum ei imminere, qui rei usum accepit. Cum enim, si res pereat, pereat domino, & rei ille sit dominus qui, ut superius visum est, rem ut ea utatur accepit; profecto necesse est, ut quocunque eveniente casu ille idem totum damnum subeat.

LXVI.

Atque illud insuper sit oportet, quoniam is, qui accepit, rei dominium habet, reique periculo subjicitur, eum eundem etiam utilitates quascunque, per acceptam fungibilem rem habitas, jure ut suas retinere sibi. Æquum enim est ut qui incommodum sentit, ubi accidat; etiam si commoda eveniant, & illa percipiat.

LXVII.

Quapropter contra naturalem justitiam facit, qui cum alteri rei fungibilis arbitrium cum periculo & onere restitutionis in integrum commisit, partis etiam utilitatum, quæ inde forte habebuntur, certum se scribit creditorem. Vult enim alienum proficere sibi, & debitorem absque ulla compensatione, etiamsi res sine illius culpa pereat, etiamsi rei fructus posita quacunque industria nulli fuerint, etiamsi ingentia damna obvenerint, tantum quantum accepit restituere, & fructus præstare.

LXVIII.

Fructus enim, etsi in re nostra non mere industria-

Digitized by Google